

† R. P. Andreas Hellbach (1851-1929).

(*Vice-Prov. Argentin.*)

† R. P. Andreas Hellbach (1851-1929).

(*Vice-Prov. Argentin.*)

Desideratissimi confratris nomen, quod latine conversum « rivus limpidus » audit, erat omen. Etenim P. Hellbach, *vir simplex et rectus* omnisque fallaciae inimicus, cum propter vocis exilitatem ad missiones exire nequiret, domi modeste vitam degit Regulae plane conformem, eadem fidelitate omnia munera, sive minora sive maiora, persolvens, et ad extremam usque senectutem confratribus exterisque utilem se praebens.

Pagus *Filsen*, amoenissime ad Rhœni fluminis ripam dexteram in dioecesi Limburgen. situs, Andreae nostro patrium solum praebuit, ibi postridie kalendas Ianuarias a. 1851 in sinu familiae admodum christianae

et numerosae nato. Gymnasialia studia partim in *Boppard* peregit, cotidie navicula adversam fluminis ripam petens, partim in *Elville* et *Hadamar*, partim in nostra studiorum domo, postquam adolescentulus quindecim annorum Congregationem nostram ingressus et d. 19 Ian. 1868 Augustae Trevirorum perpetua vota professus est. Iam tum nil puerile in eo, sed maturae aetatis formam in se exprimebat.

Sacerdotio Luxemburgi initiatus d. 24 Aug. 1874, et studia theologica rite emensus, usque ad a. 1892 in studentatu ut Lector remansit. Excipe

tempus inde a Julio 1878 ad Maium 1879, quo P. Hellbach cum Fr. laico Iosepho Wiemers novum Brasiliae Internuntium Apostolicum comitari iussus est. At cum sperata et promissa nova fundatio tum in Brasilia nondum fieri posset, ambo a Rñño P. Maurou in Provinciam revocati sunt.

Per quinquennium (1887-1892) P. Hellbach etiam Praefecti munere perfunctus est, et qua ratione id perfecerit, ab uno ex eius alumnis ita exponitur: « Fratrum studentium bono spirituali et corporali materna sollicitudine providebat. In conferentiis tradebat solidam doctrinam practicam grata elocutione et pronuntiatione modesta. Haec ipsa modestia, una cum quadam unctioe, semper

animos nostros multum commovebat, eo vel magis, quod ad pedes sacerdotis doctissimi nos sedere sciebamus. Articulus, qui in encyclopaedia illa *Kirchenlexikon* de S. P. N. Alphonso tam eximie tractat, Patrem Hellbach habet auctorem.

» Cum Fratribus studentibus affabiliter conversabatur, atque in deambulationibus aestivis in media corona considens amice nobiscum sermocinabatur. — Ut conscientiarum moderator unico dicto ad quaestionem positam clare respondere et turbatae menti pacem infundere poterat.

» Cum eo tempore in studentatu semper essent clerici, qui gymnasialia studia nondum absolverant, P. Praefectus eos litteras latinas graecasque docebat, anglicas quoque et hispanicas, quotquot id cupiebant, et primus omnium difficillimae pronuntiationis anglicae regulas omnes cum omnibus exceptionibus in unum collegit.





» Cum in ecclesia nostra Luciliburgensi contionabatur, quod saepe accidit, vox quidem exilis et soni metallici expers erat, tamen placebat eo, quod verbum Dei praedicabat lingua classica, quae vocatur, simulque simplici, atque mentem et cor aequè delectabat.

» Autumno a. 1892, cum audissemus dilectum P. Praefectum, tanta virtute et scientia praeditum, cum duobus neosacerdotibus in Vice-Provinciam fluminis *La Plata* recens fundatam profecturum esse, nos clerici velut fulmine tacti sumus; sed providens Deus eum ibi ad alia opera destinaverat. »

In hac igitur Vice-Provincia Argentina P. Hellbach reliquos 37 vitae annos transegit et eius quaedam columna evasit. Annis 1893–1904 et 1919–1921 domui Montisvideanae praefuit, 1912–1918 domui Saltensi, 1918–1919 domui Bella Vista, 1904–1912 integrae Vice-Provinciae. Bis in Europam rediit, ut Capitulis generalibus annorum 1894 et 1909 interesset. Inter eius opera novum collegium Montisvideanum eminet novumque templum Matris de Perp. Succ. sacrum, una ex pulcherrimis totius reipublicae Uruguayanae aedibus sacris. (1)

Anno 1916 febris illa, *malaria* seu *paludismus* vocata, confratrem corripuit, et chinini iniectiones febricitantis vitam etiam in maius discrimen adduxerunt. Postea, recuperata valetudine, arteriosclerosis apparuit, et inde ex a. 1921 ulcera in crure sinistro, sed remedio a quodam sacerdote parato optime meritis Pater sanitati restitutus est. Anno 1923, e curru electrico egressus, tam misere in via cecidit, ut diu magnis doloribus vexaretur.

Aureum professionis iubilaeum celebrans (1918), saevo bello impediabatur, ne ullum a propinquis aut a Provinciae matricis sodalibus nuntium reciperet; sacerdotii vero iubilaeum (1924) ipse summus Congregationis moderator praesentia sua illustrius reddidit. De adamantino professionis iubilaeo videsis *Analecta* VII, 110.

Ineunte a. 1929 denuo pulsabat Dominus, immisso cordis morbo sonitico: quam ob rem senex optimus d. 25 Mart. fratri suo minori scripsit: « Nullam prorsus erga hanc vitam affectionem nutrio, sed laetus transitum ad vitam meliorem exspecto, nil aliud mihi exoptans nisi bonam mortem. » Hanc gratiam, omnium pretiosissimam, d. 11 Nov. 1929 consecutus est.

Defuncti confratris merita celebrarunt ephemerides *El Bien publico* et *El Amigo*. (2) Iesuitarum autem folia periodica *El Colegio* scripserunt: « Pater Andreas, quo nomine familiariter inter nostrates vocabatur, decus

(1) Vide *Analecta* VIII, 43.

(2) Cf. etiam *Der Volkmissionar* 1930, n. 2.

Congregationis Redemptoristarum fuit. Vir serius et studiis deditus, inter optimos cleri nostri canonistas numerabatur. Quam in prima nostra synodo dioecesana de iure canonico legit dissertationem, ea auctorem eiusque Institutum honoravit. In foliis nostrae archidioecesis ecclesiasticis fere usque ad ultimum momentum continenter tractabat « selectos canones », unde elucet, quantopere se studiis dedicaverit; et ea de causa affirmare licet Patrem Andream in medio praelio occubuisse. *El Colegio* Congregationi Redemptoristarum, continuis missionibus suis tam bene inter nostrates meritaе, intime condolet. »

Quo luculentius appareat, qui religiosus P. Hellbach in vita fuerit, haec facta singularia breviter commemorare iuvat: Etiam gravi morbo implicitus sacrum cotidie pie litabat usque ad paenultimum longae vitae sacerdotalis diem. — Ex libris S. P. N. Alphonsi olim integram asceticam popularem scite collegerat, sed qua erat modestia et humilitate, permisit ut alieno nomine evulgaretur. (2) — Iam senex 77 annorum pulsando novi organi pedali exercitabatur, quo plus ad divinorum officiorum splendorem conferre posset. — Etiam tum, cum totius Vice-Provinciae gubernacula gerebat et condenda nova domo Rosariensi plurimum occupabatur (1910), non recusabat singulis diebus aliquot iuvenistas nostros per quaternas horas litteris instituere.

Ne plura. Laetam fovemus spem Domini servum Andream, qui in diuturna vita etiam in parvis rebus tam fidelem se praebuerit, iam super multa constitutum esse et electorum consortio perfrui.